agriſ · pratiſ · paſcuiſ · campiſ · cultiſ · et incultiſ · ſiluiſ · uenationibus · aquiſ · aquarumve decurſibus · piſcationibus · moliſ · molendiniſ · viiſ inviiſ · exitibus et reditibus · cuidam meo fideli nomine Diemaro in proprium tradidi. Eo ſcilicet tenore · ut predictus Diemaruſ liberam deinceps poteſtatem habeat · predictum predium tenendi tradere · commutare · uendendi · ſuiſque poſteris dimittendi · uel quicquid ſibi placuerit inde faciendi. Et ut hec mee traditioniſ auctoritaſ · ſtabiliſ et inconuulſa omni euo permaneat hoc preceptum inde conſcriptum ſubtus manu propria confirmatum · ſigilli mei impreſſione iuſſimus inſigniri ·

Heinricuſ ſeptimus dei gratia romanorum rex et ſemper auguſtuſ · Uniuerſis ſacri imperii fidelibus imperpetuum · Regalem decet magnificentiam · et ad utriuſque uite proficit felicitatem · loca diuino cultui mancipata munificentiiſ ampliare · necnon eorum commodiſ intendere cum effectu · Quare dignum duximus ad publicam uniuerſorum deducere noticiam · quod cum tam diu inter Nuenburgensem et Cicenſem eccleſiaſ · ſuper iure eligendi uel coeligendi epiſcopum · quod ſibi cum Nuenburgenſi eccleſia que cathedraliſ eſt Cicenſe capitulum competere aſſerebat · queſtio uerteretur · ne liſ pene immortaliſ · cum graui eccleſiarum diſpendio protenderetur in infinitum ·

License: cc-by – Leipzig, Universitätsbibliothek, Fragm. lat. 341, 1v mit Farbkeil – Cartulary of the cathedral of Naumburg (https://fragmentarium.ms/view/page/F-8hqt/287/3308)